

1726.

1. Albinus, James Henricus: De ea, quod iuris competit ex officio secundum ordinationem processus Saxonici recognitione.
2. Bestiarius, Geth. Christ: ¹⁷²¹ De iuridice . . . Recens.
3. ^{Bestiarius}, Geth. Christianus: De paupertatia et felicitate ejusque effectu.
4. ² Dictern, Elias Gottlieb: De imperio peregrinorum.
- 4b ³ Dictern, F. J.: De peregrinatione in Germania
5. Tellingus, James Fistericus: Rusticum in sermone velut exemplo Latini declaratum.
6. Hanacius, Christianus: De Saxonij iuris ad artium et rerum rationale munus iure secundum publicum extra ordinem ab Augustissimo rege . . . in acad. Vilnus. s. t. solatam . . . ex instituto expoundit.

1796.

7. Hansen, Martinus : De peccatis silentii
8. Hansen, Martinus : Vicerelationem mosealem, quae rationes exponuntur cur Franciscus I Galliarum rex ab iuris iurandum Corolo V. Imperatori hanc rationem pergitur censeri debet. 2 examini salutis lib.
9. Holmannus, Samuel Christianus : De jure consequentiarum
10⁴, 10⁵ = Kemmerichius, Dieder. Hermann : De secretariis
portuolariorum et actuariis judiciorum. 2 ruppl.
11. Kemmerichius, Dieder. Hermann : De jure de non
evocando electorum principum et statuum 1 ruppl.
~~aliorum~~ aliorumque immunitorum et mortuorum.
12. Kraunus, Dr. Gottfrid : De libris ex matrinois
iher sposum stupratamque ab aliis, iniunctis
natis.
13. Kraunus, Dr. Gottfrid : De interpretatione pre-
scriptivis
14. Kraunus, Dr. Gottfrid : Specimen prudentiae &

- domis a pupillis accipitremis estibidae.
16. Tuerker, Mart. Gottschaff. De juri iis circa abortum emerlatum perend.
16. Tuerker, Mart. Gottschaff. De sensationibus Brutorum imperfectis
17. Tuerker, Mart. Gottschaff. De intellectu impuro
18. Tuerker, Mart. Gottschaff. De natura sensuum extorsonem homini
19. Meijer, Henr. Gerardi. De intellectu impuro.
20. Münster, Gord. Lutroci, Ord. iur. . . Decanus : Lectori
benivoli s. p. d. (ad Reputacionem sollemnem Casu-
Lutroci Santii invitat.)
- Gutenberg, Gottfr. Lutroci, Ord. iuridici . . . Decanus :
Lectori benivoli s. p. d. (ad Reputacionem don-
ni Friderici Clementi invitat.)
22. Münster, Gottfr. Lutro : De iotationibus principiis com-
missarii immediata.
23. Rieckringius, Dranes Christopham. Dissertacionem
--- quoniam rationes confundentes eis transuerso
Gottinum rex Hispaniarum Carolo V. Impens
seratus per quam censuram debet? submittit.

24. Spener, The. Carolus: De vera origine constantinopolitorum Caesarorum seu commentarij. Palatinatus Lateranensis assortit atque . . . causas istos et solemnias honorum philosophicorum . . . nobis beatae marie . . . iur. Pat
25. Spener, The. Carolus: De imperio peregrinorum primorum monitione in Germania
26. Sterckelius, Christ. Gottfr.: De philibris rite examinandi et diffringendi. Von Liebes-Tranquill.
27. Vetus. Christianum: De pensionibus coliciis et iliacis
28. Wunker, Dr. Balduini: Dissertatio iuris iuridica, quae sententiam de obligacione ex parte sponsalium, quod nupti. Novi. videntur . . . diversorum objectuum defendit.
29. Wunker. Isaac. Bodenius: In paucis iustificationum in specie

Q. D. B. V. 1726 9/5
DISSERTATIONEM MORALEM 8
RATIONES EXPOVNVTVR
CVR
FRANCISCVS I
GALLIARVM REX OB
IVSIVRANDVM CAROLOV
IMPERATORI HAVD
SERVATVM PERIVRVS
CENSERI DEBEAT
PRAESIDE
MARTINO HASSEN
MORALIVM ET CIVILIVM P. P
PATRONO FORTVNARVMQVE SVARVM
AMPLIFICATORE PIE COLENDO
IN
ILLVSTRI AD ALBIM ACADEMIA
D. XXI. DECEMBR. M DCC XXVI
PLACIDO DOCTORVM EXAMINI
SVBMITTET
AVCTOR
IOANN. CHRISTOPH. ROEHRING
LL. ARTIVM MAGISTER
ET IVR. VTR. CANDIDATVS
VVITTEBERGAE, LITERIS GAEBERTIANIS



DISSESTRA TATI MOLALI
RATIOMIS EXPONITUR
ERANICISCAZI
GAPLIVUM REX OB
IUSZARANDUMGAROFOLIA
IMPERATORI HAD
CEMIRRI DERTAT
MAYN HAGEN
MORAVIAN ET CIVILIS M P
TATISYTA DORTMUND SAVRUM
AEGIDII GÖTTINGO
WESERIA DORTMUND AGEDINIA
DIEZ DIERMUTH M DEC XXVII
TERRITORY OF THE STATE
JOANN CHRISTOPHER FRIEDEBRING

VIRIS
PLVRIMVM REVERENDO, AMPLISSIMO
CLARISSIMOQVE

**DN. M. IVSTINO
VVEYRAVCHIO**

ECCLESIAE BEIERSTORFFIENSIS PASTORI
LONGE MERITISSIMO

ET

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSVL-
TISSIMOQVE

**DN. CHRISTOPHORO
VVEYRAVCHIO**

CIVITATIS SCHMIEDEBERGENSIS
PRAETORI GRAVISSIMO

PATRONIS, FAVORIBVS ET AVVNCVLIS
OMNI, QVO PAR EST, CVLTV
PROSEQVENDIS

PUBLICVM HOCCE SPECIMEN
TANQVAM
PIETATIS ET OBSERVANTIAE MONIMENTVM
INDVSTRIAEQVE SVAE FRVCTVM
SACRVM ESSE CVPIT
DIVINVM BENEDICTVM
VITAM LONGAM
ET
PROSPERRIMOS OMNIVM CONSILIORM
FACTORVMQVE SVCCESVS
EX
ANIMO PRECATVS
SANCTISSIMA AMORIS LEGE
DEVINCTISSIMVS

IOANNES CHRISTOPHORVS ROEHRINGIVS
LL. ARTIVM MAGISTER
ET IVR. VTR. CAND.


V I R O
NOBILISSIMO CLARISSIMOQVE
DN. IO. CHRISTOPHORO
ROEHRINGIO
SAPIENTIAE ARTIVMQVE INGENVARVM
MAGISTRO AC I. V. CANDIDATO
DIGNISSIMO
AVCTORI - RESPONDENTI DOCTISSIMO
S. P. D.

P R A E S E S.

QVanquam philosophiae , praefertim practicae ,
tanta est utilitas, ut sine ea nec scientia alia recte
adhiberi, nec societas ulla conseruari possit, ta-
men non desunt homines, ceteroquin inter eruditos su-
um profitentes nomen , qui, sordere sibi philosophiam ,
non magis ore, quam facto declarant. Maxime ex illis ,
qui

E

qui iuris ciuilis disciplinam colunt, plurimi in eam adducuntur opinionem, ut philosophia facile se carere posse, arbitrentur. A falsa hac persuasione TE prorsus alienum esse, VIR NOBILISSIME, ardens illud studium, quod etiam nunc in philosophia collocas, magno est argumen-
to. Non enim satis habuisti, communes ex philosophia notiones animo, ut uulgo solet, comprehendisse, sed do-
ctrinis in perfectioribus diu multumque es uersatus. Ne-
que aliam, puto, cauissam subesse, cur uariarum quoque linguarum, ueluti Gallicae, Italicae et Anglicae, amore capi-
piaris, nisi quod earum ope praestantissima quaeque scri-
pta intelligi, haustisque inde praecepsis philosophiae pariter ac iurisprudentiae partes quam plurimas perpoliri pos-
se, probe perpendas. Quemadmodum itaque haec duo studiorum genera, arcto inter se uinculo colligata, simul tractasti, ita maximorum quoque virorum exempla secu-
tus, sapientiae artiumque ingenuarum magistri ac docto-
ris titulum gerere haud erubescis. Quid? quod eundem
rite exornaturus, docendique facultatem eo adepturus
nomine, hanc dissertationem, ex meo quidem consilio,
at Tuo tamen Marte elaborare, meque praeside, in publi-
co doctorum confessu habere constituisti. Macte nunc
egregia animi Tui uirtute, CLARISSIME MAGI-
STER, macte singulari rerum diuinarum humanarum-
que intelligentia, macte assiduo litterarum interiorum studio.
Sic ueniet tempus, cum, uti sementem fecisti, ita
metes, amplissimumque eruditio[n]is fructum consequeris.
Vale. Scribebam Vitembergae pridie Idus De-
cembr. MDCCXXVI.



INTROITVS



Quidem is uideri nolo, qui ulli Genti, ne-
dum Gallicae, eas uel inuidere, uel detrahere
laudes sustineam, quas siue linguae cultioris
siue morum politiorum fama eidem com-
parat. Nec fidem Gallorum, multis testimo-
niis (a) pro lubrica et fallaci habitam, suggil-
lare conor. Id tamen adulationi Gentis,
Regum suorum amantissimae, dare non pos-
sum, ut pessimos illos perfidiae actus, quos ab ipsis identidem
perpetratos fuisse, historia clamat, uel excusem, uel approbem.
Qualis actus cum sit uiolatio fidei, a Francisco I. Galliae Rege
Carolo V. Imperatori iuratae, occasionem inde sumsi, argu-
mentum Academicum conscribendi, idque duas complexum
sectiones, unam *bistoricam*, alteram *dogmaticam*.

(a) Vid. SCHOWARTZI dissert. *An pacto ob necessitatem publicana inita, ces-
tante necessitate, sint seruanda?* §. 5.

SECTIO PRIMA

HISTORICA.

S. I.

Mortuo Maximiliano Caesare, auo Caroli, Hispaniarum
Regis, hic a praecipuis consiliariis, qui ipsum in Hispa-
niam secuti fuerant, propterea ad ambiendum imperi-
um incitabatur, quia ad res domini sui stabiendas per-
tinere existimabant, ut Caesar designaretur. Cum uero nosset, Im-
peratoriae pariter dignitatis cupiditate Franciscum I. Galliae Re-

gem flagrare, offensionis euitandae causa, animi sui propositum illi curauit significandum. Et licet illa controuersia maximi esset momenti, ac felix huius rei euentus alterutrius rebus gerendis ingenis addere posset robur, nihilominus tamen Franciscus ad Caroli propositum ipsi significatum lepide respondisse fertur, conatum Caroli sibi non magis displicere, quam si uirginem unam ambo deperirent, proinde pergeret bonis auibus, D^eum feliciorem adiutorum, (a) et Coquille (b) in familiari colloquio, postquam Carolus jam electus erat, lepidum hocce argumentum Franciscum repetisse et adiecisse refert, Imperatorem non debere aegre ferre, quod competitorem habuerit. Immo M. Franciscus Guicciardinus (c) de Francisco scribit, eundem de futura electione Imperatoris, siue contingaret in Caroli, siue in sua persona, honorifice fuisse locutum, et dixisse, utrique maximo esse honori, eam dignitatem appetere, quae pristinis temporibus successive in utriusque Gente fuisse, dummodo ne per contumelias et iniurias uia, ad eam capessendam, sterneretur, nec benevolentiam, qua unus alterum prosequeretur, irent diminutum.

(a) Ex: Guilielmo Zenocaro a Scarwenberg de uita Caroli V. L. I. p. 37. citat LIMNAEVS ad Capitulationem Caroli V. p. 71.

(b) En l' histoire du pais et Duché de Nivernois p. 205. ex quo idem refert LIMNAEVS c. I. pag. 71.

(c) Nell' historia d' Italia pag. 391. seq.

§. II. Carolus, Rex Hispaniarum, eam ob causam, quod Imperium Romano-Germanicum diu Domui Austriacae fuisse annexum, Caesaream dignitatem quodam ad se iure pertinere, arbitrabatur, nec Electores Maximiliani defuncti posteros sine gratia ratione ab ea excludere posse, credebat. Nemo praeterea in tota Germania tantae auctoritatis et potentiae habebatur, ut cum ipso de Imperio contendere posset. Iniustum quoque uidebatur, ab Electoribus tantam dignitatem, per multa secula in Natione Germanica continuatam, ad Principem extraneum transferri. Sin uero quis pecunia corruptus contraria sententiam, eundem Carolus auctoritate, immo armis in ordinem redigere sustinebat. Electores pariter ac reliquos Principes Imperii nunquam in translatio-

lationem dignitatis Imperialis in personam Regis Galliarum consensuros, credebat, et quidem ob duplicum rationem, tum, quod, hoc facto, Regis inimici potentia quam maxima caperet incrementa, tum, quod dignitas Imperialis, ubi semel in Gallos fuerit translata, nunquam ad Germanos rediret. Denique opus ab aucto suo iam coeptum, nimirum electionem Regis Romanorum in se statuendam, praemiis et muneribus unicuique Electorum exhibitis, ad perfectionem erat perducturus. (d)

(d) *Contrarium habet LETI nella vita di Carlo V. part. I. p. 93. seqq.*

§. III. Ex altera parte non minor erat spes in Rege Galliarum, eo potissimum suffulta, quod Electores pecunia corrumpere studiebat, quorum aliqui, ipsi ueteri iuncti amicitia, monstrando facilitatem rei, eundem ad capessendum Imperium stimulabant, quae spes apparentibus potius, quam ueris nitebatur rationibus. Nam eundem non fugiebat, Principibus Germaniae quam maxime molestum esse, potentes nancisci Imperatores, utpote suspicantibus, eosdem ad confirmanda iura Statuum non adeo faciles esse, eamque ob causam sibi persuadere non poterat, Regem Hispaniarum Imperio fore potitum. Nil autem a se esse metuendum putabat, nullum quippe territorium in Germania habente, ideoque suam potentiam Statibus documento et periculo haud futuram. Sciebat quoque, multas domos illustres in Germania, quae se habiles ad suscipiendam dignitatem Imperialem iudicabant, aegre laturas, si Imperium, per tantum temporis spatium in una eadem que familia continuatum, quod tamen mox uni, mox alteri per electionem fuisset deferendum, per successionem in una semper stirpe permanereret, quippe cum ab Alberto Austriaco translatum fuisset in Fridericum III. qui etiam a quibusdam historicis IV. uocatur, a Friderico in Maximilianum filium ipsius, et nunc de eo agatur, ut a Maximiliano in nepotem eius transferretur. Hae Principum indignationes in Francisco spem accendebant, fore, ut ex discordiis et aemulationibus Ordinum Imperii causae suaee incrementum accedat. (e)

(e) *Vid. GVICCIARDINI historia d' Italia pag. 392.*

§. IV. Electores itaque Francofurti, eligendi Imperatoris ergo, conveniebant. Et licet Pontifex, Leo X. a partibus Caroli staret, duabus maxime rationibus inductus, quarum prima erat, quod Carolus magis pius, magisque catholicae fidei addictus, et a genitoribus piissimis descendens cum maximo zelo ecclesiam Romanam contra Lutheranos defendisset, altera, quod, cum nullus Imperator et Rex Neapolitanus simul esse posset, Carolus, si talis Imperator fuisset factus, Regnum Neapolitanum sedi Apostolicae, cuius erat feudum, tradere deberet, nihilominus tamen Francisci asseclae multa machinabantur, liberalitatem haud exiguum exercendo erga Electores Ecclesiasticos, qui eo facilius pecunia corrumphi possunt, quod eorum dignitas non est hereditaria, adeo, ut hac partium discrepantia dubius fuerit electionis cumentus.

§. V. Lassi tandem tantis obstaculis Electores, hosce duos competitores extraneos excludere, et Imperatorem ex Electorali Collegio aliquem, eumque Germanum, eligere constituebant, ad id permoti in primis statu negotiorum Germanicorum publico, cui grauia damna, hac sede uacante, imminebant. Communi itaque suffragio eligebat Fridericus sapiens, Elector Saxonius, ipsique Corona Imperialis offerebatur ab Electoribus, fortitudine eius, prudenter, aliisque virtutibus adductis. Fridericus tantam dignitatem sibi oblatam illico recusare nolebat, sed duos sibi expetebat dies ad deliberandum et respondendum, quibus elapsis, gratias egit Electoribus pro bona ipsorum uoluntate et benevolentia, seque ad tantum Imperii fastigium sustinendum minus habilem dixit. Non obstante hac recusatione Friderici Sapientis, reliqui Electores, infinitis ferme rationibus utentes, eundem ad suscipiendam dignitatem delatam permouere annitebantur. Eodem uero in proposito suo persistente, et machinationibus Caroli et Francisci magis magisque ingrauescentibus, Electores, singulari Friderici modestia uicti, deque sinceritate eius persuasi, eundem rogabant, ut saltem nominaret eum, quem in conscientia sua Imperio maxime idoneum iudicaret, seque eundem statim approbaturos promittebant. Hoc quoque primo recusauit, non, nisi odium exclusorum in se conci-

concitatum iri, causatus, tandem tamen postulatum urgentibus respondit, se Rege Catholico (f) dignorem haud nosse.

(f) Uti Mezeray narrat, aliter tamen commemorat LETI nella vita di Carlo V. pag. 103.

§. VI. Sic tempore matutino die XIIX. Iulii anni MDXIX. Carolum, Regem Hispaniarum, Regem Romanorum crearunt, h. e. Imperatorem, idque unanimi uotorum consensu, excepto Electore Treuirense, qui tamen, quibusdam diebus praeterlapsis, omni spe Francisci elusa, suo uoto reliquis accessit, et Electore Brandenburgico, de quo Belarius, Episcopus Metensis, (g) scribit, eundem fidem fecellisse, quod auctor consiliarii Status Gallicus molliori cre- na expressit (h). Ob Carolum itaque de facta electione certiorem reddendum, Dux Bauariae, qui haud ita pridem, extincto Alberto Sapiente, Patre ipsius, Ducatum receperat, ad iter in Hispaniam suscipiendum, se offerebat. Certissimus de bona receptione, ab Electro- ribus iubebatur, Carolum eo permouere, ut quam celerrime ad Coronam Imperialem accipiendo in Germaniam ueniret. Nego- tium huius Ducis felicem habebat successum. Cum enim maxima- eset auctoritatis in Imperio, et Carolo addictissimus, nullum erat dubium, quin Rex Hispaniarum rationibus suis concedere uellet. (i) Id quod factum. Nam, conuocatis Castiliae et Arragoniae Or- dinibus, necessitatem proficiendi in Germaniam, ad accipiendo Coronam Imperialem, significauit, et constituto Gubernatore, Cardinale Adriano, Praeceptore suo, Episcopo Tortosano, addi- tis ipsis consiliariis Caftilianis et Arragonensibus, in Germaniam iter per mare direxit, nauibus se suosque in portu Coronensi V. Maii anno M.DXX. committens, uariique eum comitati magnates.

(g) Comment. rer. Gall. Lib. 16, pag. 173.

(h) P. 3. p. 490. Charles d'Autriche fit faire des levées en Allemagne, et son armée assemblée, la fit approcher de Francfort, sous prétexte de vouloir empêcher, que l'élection ne fût forcée, et par là encourager les siens, fit passer de son côté ceux, qui branloient, et étonna Brandebourg, qui tenoit le parti de France, de façon qu'il n'osa decouvrir son intention.

(i) Quid Galli de electione et repulsa senserint, habet LIMNAEV'S ad Capitul. Carol. V. p. 75. seq.

§. VII. Facta hac electione, Franciscus, nec non Principes

Ita-

Itali, cum eo communem causam facientes, animum ualde desponebant, iis uero, qui a partibus Caroli stabant, accedebat amicus, cum uiderent, tantam potentiam in uno solo Principe, cui adhuc uaticinia ingens Imperium et stupendam felicitatem promiserant, esse coniunctam. Et, licet tanta non gauderet pecuniae copia, quanta Franciscus, Rex Galliarum, nihilominus tamen illud maximum habebatur momentum, quod exercitus suos posset replere peditibus Germanis et Hispanis, peditibus maxima exultationis et fortitudinis. Franciscus nero, Rex Galliae, eiusmodi pedite destitutus, a bello abstinere cogebatur, nisi peditem extraneum multis impensis compararet. Quam ob causam magnum numerum Heluetiorum, stipendiis suis militantium, seruare, multasque iniurias ab iisdem pati cogebatur, nunquam tamen certus esse poterat nec de eorundem fide, nec de constantia.

§. VIII. Nec causa simultatum deficiebat. Carolus enim contrebatur de Ducatu Burgundiae, proauo suo materno competente, at per Ludouicum XI. Regem Galliae eretto, nec non de eo, quod Franciscus post mortem Ludouici XII. Ducatus Milanensis, quem ab Imperio nexus feudali tenebat, nondum acceperit investituram, in primis cum prior, Ducatu illo per vim armorum a Gallis occupato, nullius valoris fuerit. Franciscus contra querelis Caroli alias non minoris momenti opponebat, quarum prima erat, quod Carolus tractatum Noyonensem non seruauerit, altera, quod restitutio Regni Nauarrai in fauorem Henrici Albretani nondum facta esset, tertia concernebat centena millia nummorum Italorum, qui scudi uocari solent, quosque Carolus Franciso pro praetensionum in Regnum Neapolitanum renunciatione promiserat, eorum tamen solutionem adhuc distulerat, quarta, quod Carolus horum magium ipsi de Flandria et Comitatu Artoensi praestare renueret, non aliam ob causam, quam quod eiusmodi actus Imperio et Imperatori praeiudicio esset.

§. IX. Eiusmodi contentiones, quae tandem in odium implacabile degenerantes, usque ad finem vitae Francisci durauerunt, (k) non quidem statim in bellum proruperunt, sed procedente tempore. Nam Franciscus, qui, Carolo in Romanorum Regem electo inuidenti-

dentiam suam suumque odium publice nariis exemplis prodidit, (l) ad bellum in Italia feliciter gerendum de Pontificis et reliquorum Italiae Principum auxilio ante omnia certus esse debebat. Et Carolus in Germaniam descendere, ut ibidem Aquisgrani coronaretur, necesse habebat. Interea in Hispania a malevolis tumultus excita- bantur, qui tamen deinceps ui armata per alios Caroli fideles officiales in ordinem redigebantur, et Nauarra a Gallis occupata etiam recuperabatur. Cum Franciscus quoque in Belgium arma inferret, nactus occasionem ex rebellione Comitis de Marca, Sedanensis, qui, postquam a Caesare defecrat, una cum Francisco multum negotii Carolo fecit, quanquam fortuna minus prospera, St. Amando et Turnaco sub ditionem Caesaris redacto, ad vindicandam hancce injurię, Carolus cum Pontifice Leonē X. post sopitas controuerсias intuitu inuestitura Regni Neapolitani, aliisque Principibus foedus iniit. Sed mortuo paulo post febri maligna Pontifice, nullum exindecepit fructum.

(k) *Vid. de bis LETI nella uita di Carl. V. p. 118.*

(l) *Vid. LE SIEUR D'AUDIGUIER dans le vray et ancien usage des duels chap. 14. p. 161. qui dit, que la preference de Charles outre le coeur du Roy d'un sanguant depit, qui ne pouvoit souffrir, qu'un sien sujet lui eut été pre- feré en cette election.*

§. X. Deinde Carolus Franciscum bello adortus, et Comitatum Artoensem, Campaniam et Piccardiam ingressus, ibidem belli thea- trum constituit. Et, licet haec Imperatoris esset prima actio bellica, nihilominus tamen in obsidione Mouzonensi (*Gallice Mouzon*) quam Galli per ludibrium sanctam Crucem Caroli appellabant, (prima enim res in erudiendis infantibus apud Gallos est, ut fiat signum sanctae crucis,) maximam consecutus fuit gloriam, urbemque bene munitam et defensam expugnauit intra breue temporis spatium, paucis suorum militum amisis. Verum cum fortuna eundem ad ef- fectus suos in rebus aduersis et secundis experiendo destinauerit, gloriam acquisitam in obsidione Mouzonensi, in obsidenda urbe Mezierensi, perdidit, unde a Francisco cum multo uituperio in fugam coniectus fuit. Quam ob causam facies bellii alio, ut res melius succederent, erat conuertenda, et quia bella in Italia gesta

ob longinquitatem Gallis semper fuerunt funesta, secum constituebat, Gallos Italia et in primis Ducatu Mediolanensi expellere, Ducecumque Franciscum Sforziam restituere. (m)

(m) *Hoc uero solummudo praetextum fuisse, pater ex vita Caroli V. p. 232.*

§. IX. Franciscus uero ad huncce conatum impediendum, Duce bellii Lautreccium, multis copiis instructum, in Italiam miserat. Primo itaque Caesareani, coniuncti cum Hispanis et Papalibus militibus, quibus praererat Prosper Colonna, oppugnata Heluetiorum castra rumpebant. Vnde Triuultius, summus belli Dux Venetorum, qui sociati erant Gallis, uidens Heluetios in confusione redactos, et forsitan in mandatis habens, ut militibus parcetur, recedebat, nec ullis precibus Lautreccii ad coniunctionem denuo faciendam permoueri poterat. Sic conflictus continuabatur cum exiguo Imperialium damno, commodum quippe locum tenen-
tium, et numero Gallos superantium, sicque magna clades ibidem edebatur. Ceciderant quippe plures, quam ter mille Heluetii cum Duce suo supremo, et quatuordecim aliis belli ducibus fortissimis, plures quam quinques mille Galli cum multis ducibus et nobilibus. In Caroli exercitu e vulneribus occubuerunt Petrus de Cordoua, Comes de Colisaro, Marchio de Vasto. Hacce strage Galli totum Ducatum Mediolanensem amiserunt, (n) et Franciscus Sforzia, triumphum agens, Mediolanum intrauit.

(n) *Vid. tamen GVICCIARDIN. nell' historia d' Italia, pag. 426.*

§. XII. Interea Carolus Burbonensis, Comes stabuli, defecerat a Gallis, et transitu ad Caesarem paraturus, literis eundem huius rei certiorem fecerat, qui sibi gratulans de tanto homine, in posterum suas secuturo partes, ipsi electionem dederat, uel in Hispania, uel in Ducatu Mediolanensi manendi, insimul promittens, ubique officia meritis suis digna ipsi praestitum iri. Constituit ergo mane-
re in Italia, ratus, ibidem maiora seruitia Imperatori praestari posse, indeque breui post tempore dux belli copiarum Germanicarum factus fuit. (o) Et quoniam maxima se ulciscendi aduersus Gallos cupidine flagrabat, Imperatori persuadebat, ut arma inferret Galliae, et ab obsidione urbis Massiliensis ordiretur, maximos progressus ipsi promittens. Quo proposito a Caesare approbato, exercitus
Duce

Duce Carolo Burbonensi et Comite Pescariensi in Galliam mittebatur, et urbs modo nominata obsidione cingebatur. Cum autem Franciscus maxima diligentia copias suas cogeret, auxilio uenturus oblesiae urbi, nec consultum eset, copiam sui facere hosti in provincia sua, leuata obsidione, Mediolanum reuertebantur, amissis impedimentis et tormentis cum maxima Imperatoris ignominia et acutissimo ipsius Duci Burbonensis dolore. (p)

(o) de causis defectionis uid. LETI nella uita di Carlo V. p. 204.

(p) Qui dolor incrementa capiebat per satyram, quae Romae currebat: Il Duca di Borbone ch'era buon Francese, si fece Imperiale, per vandar a fare una cacata alla Spagnola nelle strade di Francia. LETI nella uita di Carlo V. p. 222

§. XIII. Post talem Caesareanorum expeditionem, felici successu destitutam, animus Francisci magis magisque accendebatur ad pari referendum, exercitum suum ducendo in Italiam, et ad recuperandum Mediolanum. Accedebat, quod Pontifex, Clemens VII. oculis inuidiae plenis, potentiam Caroli adspiciens, foedus cum Rege Francisco et Venetis pangeret, ea intentione, ut Caesar possessione Ducatus Mediolanensis, quam conniuente ultimo Duce, Francisco Sforzia, occupauerat, iterum spoliaretur. Conueniebant, ut Franciscus arma moueret in Ducatum Mediolanensem, et ad hostes diuertendos, Ducem Albaniae cum iustis copiis in Regnum Neapolitanum mitteret. Franciscus, qui non poterat potiri uoto pugnandi cum hostibus suis prope Massiliam, cosdem sine temporis dispendio usque ad Mediolanum perseQUI, et hac uia hereditatem suam, a Caesare erexit, recuperare statuit. Antequam tamen belli gerendi causa in Italiam proficiseretur, uicissitudinem humana- rum consideratione anxius, Ludouicam, Allobrogo oriundam, Matrem suam, cum tanta auctoritate, quantam ipse habebat, Galliarum Regimini praeposuit, constitutis aliis adhuc Gubernatoribus.

(q) Quo facto itineri fese accinxit. Comitabantur uero eundem, cum exercitu suo pergentem, uarii belli Duces, qui regiminis militaris participes erant in exercitu, quod uiginti millibus peditum, et duodecim equitum consistebat, Mediolano potiturum, prius quam auxiliis Hispanorum suffulciretur.

(q) *Causas bivius belli vid. in historia captiuitatis Francisci I. SANDOVALIS pag. 1.*

§. XIV. Duces belli Caesaris, habito belli consilio, decernebant, exteriora loca, immo et castellum Mediolanense esse defendendum, urbem uero ciuium fortitudini relinquendam, et Ducem Burbonensem, ad conscribendos milites, in Germaniam mittebant, interea speculatores actionum hostilium futuri. Consilium tamen ante agitatum fuisse de urbe defendenda, patet ex *historia captiuitatis Francisci I. Sandovalis pag. 7.*

§. XV. Rex Franciscus ad urbem Mediolanensem oppugnandum se comparabat, cuius quidem ciues per aliquod temporis spatium se fortissime defenderunt, sed orto a minis Francisci timore perculsi, se suaque ipsi dediderunt. Id quod tamen ante factum non fuit, quam die Dominica, signo abscessus tuba dato, atque praecedente equitatu cum marchione de Vasto, secutoque per portam Romanam peditatu, Leodium uersus iter susciperetur. Et ne Caesareanorum egressus a Gallis, in urbem irruentibus, impeditur, aut damnum egredientibus inferretur, Gallis se opposuit Pescara, eosque tamdiu detinuit, donec totus exercitus Imperatoris sine militum iactura Mediolano abiisset.

§. XVI. Spreuerat Franciscus consilium urbem Lodensem obsidione cingendi, et Ticinum, quod non tantum fortissimum belli Ducem, sed etiam non spenienda virtutis milites defensores habebat, oppugnauerat, diuiso exercitu, Portum Sauensem et Regnum Neapolitanum una occupaturus. Caesareani interea actionum Regis speculatores existentes, acceptis per Ducem Burbonensem ex Germania auxiliis, castris hostium magis magisque appropinquantes, Regem ad pugnam capessendam, et ad obfitionem leuandam, cogere statuebant. Cum itaque Rex copiam sui faceret, exercitum suum educendo, die XXIV. Februarii anno MDXXV. qui erat dies nativitatis Imperatoris, dubio Marte diu pugnatum fuit, amissis utrinque multis magnisque belli Ducibus et graui militum strage edita, usque dum fugati hostes, relicto Rege suo, et a Caesareanis deinceps capto, gloriosam plenamque victoriā Imperialibus cedere, immo tota exire Italia cogerentur. (r)

(r) *Vid.*

(r) *Vid. LETI nella vita di Carlo V. P. I. Lib. 3. pag. 251. seqq. Guicciardini Historia d' Italia lib. 15. pag. 450. seqq.*

§. XVII. Ducebatur Franciscus primum captiuus in arcem Pis- feonensem (Italice Pizicchitone) postea uero Inperatoris mandato, Madritum, quia non sine ratione metuebat, ne uictoriae fructu ex cederet, si Regem amplius in Italia relinqueret, foedere iam facto inter Pontificem, Venetos ceterosque Italiae Principes, ut nimurum Carolus ad pacem cum Francisco ineundam ipsorum arbitrio adigeretur. Antequam Franciscus Madritum uenerat, in urbem Toletanam, ad Ordines Castiliae conuocandos, se receperat Carolus. Hinc Rex Galliarum, spe imperatorem uidendi delusa, in maximam melancholiam, et exinde in acutissimam febrem incidebat, adeo, ut medici de ipsis salute desperare inciperent. (s) Qua de re Carolus certior factus, celeriore usus curfu, citissimeque Toleto Madritum profectus, ex medicis resciebat, morbum Francisci ex desiderio Imperatorem uidendi esse ortum, tum recta uia, equo descendens, eundem colloquio suo leuaturus adiit, illique, (t) allo quio ipsum praeuenienti, spem post restitutam sanitatem recuperandae etiam libertatis fecit. (u) Depulso morbi periculo, quae depulso et uisitationibus Caelaris, Eleonorae sororis ipsis, Margaretha, uidae Ducis Alenonii, sororis Francisci, quae interea ad uenerat, et Vice-Regis Neapolitani, Lanoiae, qui Franciscum ex Italia in Hispaniam duxerat, erat adscribenda, negotia pacis summo cum studio agi cooperant.

(s) *In paroxysmo multoties bis utebatur uerbis. L'Imperadore haverà il piacere di farmi morir nelle sue prigioni senza vederlo, LETI nella vita di Carlo V. P. I. Lib. 3. pag. 287. et CABRERA in cit. historia captivitatis Francisci I. pag. 134.*

(t) *Conf. LETI nella vita di Carlo P. I. Lib. 3. p. 288. Imperadore, mio Signore, eccomi qui prigioniero nelle vostre mani, non vi domando la libertà, mà la vita.*

(u) *Rispose Cesare, al contrario voi siete mio fratello, et amico, ne altro tengo in pensiere, che di darvi l'una e l'altra vid. LETI cit. loc.*

§. XVIII. Urgebat omni modo libertatem Francisci soror ipsis, Margaretha, cui Imperator ipse iter Madritum facienti, obuius fuit, eamque receptam, ad locum, ubi frater degebat, deduxit, (w) ad eam-

eamque obtainendam, mediis licitis et illicitis utebatur. (x) Sed intellecta propositionum suarum aspersione, (y) detectisque infidiliis, ad Regis libertatem tendentibus, nec non Carolo restitutionem Ducatus Burgundici urgente, in quam tamen conditionem Franciscus consentire detrectabat, (z) licentiam in Galliam reuertendi petiit, infectisque rebus reuertit, acceptis a Rege mandatis, ut mater Regina, et Parisiense consilium Regni potius, quam Regis salutem curarent. Quid uero faciendum cum Rege Galliae, Imperator ipse dubius, in consilium uocauit exquisitissimos Status sui Ministros, et ut extraneis persuaderet, se nihil in hocce negotio esse admissurum, quam quod ipsi tranquillitatem in conscientia seruare possit, eidem assidere iussit confessionarium suum Episcopum Osi- manum. In hocce consilio, re in utramque partem agitata, tres extiterunt opiniones, una confessionarii de Rege sine lytro liberando, (aa) cum qua conspirauit Vice-Rex Neapolitanus, Lanoia, (bb) altera Cancellarii Regni Hispanici, Gatinarae, de Francisco aut perpetuo carceri mancipando, uel de captiuitate eiusdem diu continuanda, (cc) tertia denique Ducis Albanensis, de Rege certis quidem conditionibus dimittendo, conditionibus uero eo usque extendendis, quoad fieri potuerit, nec generositate in hocce negotio abutenda, (dd) quae tandem opinio ab Imperatore accepta fuit.

(w) *Vid. SANDOVAL in hist. captiuit. Francisci I. pag. 135.*

(x) *Conf. CABRERA in hist. captiuit. Francisci I. pag. 140.*

(y) *LETI nella vita di Carlo V. P. I. Lib. 3. pag. 290.*

(z) *Vid. SANDOVAL cit. loc. pag. 140. Rex Galliarum infidias, quibus confus, detectas intelligens, ad Caesarem misit Montmorancium, qui nunciaret, nullo modo se Burgundia abdicaturum, feligeret proinde locum, ubi carcerem posthac sit toleraturus.*

(aa) *LETI nella vita di Carlo V. P. I. Lib. 3. pag. 281.*

(bb) *GVICCLARDINI in Hist. d' Ital. Lib. 16. pag. 482. 484. seq.*

(cc) *Vid. cit. auct. cit. lib. pag. 482. seq. CABRERA in hist. captiuitatis Francisci I. pag. 167.*

(dd) *LETI nella vita di Carlo V. cit. loc. pag. 282. seq.*

S. XIX. Francisco deinceps ab obstinatione sua, quod Ducatum Burgundicum restituere primum nolebat, recedente, Caesarique per Vice-Regem Neapolitanum, Lanoiam, indicante, ampliam iam

iam pacisendi potestatem ipsi Parisiis a matre Parlamentoque esse transmissam, (ee) pax inter Caesarem et Regem Galliae, praesentibus plenipotentiariis, uigore facultatis Reginae matris, Ludouicæ, quam Rex filius ipsius ante carcerem ei dederat, confirmaueratque consilium supremum Parisiense, conficiebatur. (ff) Quae quidem pacificatio ab utraque parte iureuando confirmata est. Rex enim Galliae, propositis Euangeliis, quae manu tenebat, sacra usus synaxis, ipse iurauit, se nunquam in tota uita dictam pacem uiolatum, nec alii opem laturum, qui id facere auderet, insimul promittens alaci uultu et alta uoce Pro-Regi Neapolitano, qui una cum aliis, ad concludendam et iuramento corroborandam pacificationem instructus, a parte Caesaris quoque iurisurandi Religionem interposuerat, intra sex menses in Hispamicam captiuitatem redditum, siquidem praestare non ualuerit, quod pace predicta conuentum. Quam promissionem postea, praesente Imperatore, repetit. (gg) Hoc tamen non obstante, usque ad diem dimissioni destinatum cum cura custodiebatur, quamuis a carcere liberatus, ad nuptias cum Imperatoris sorore, Eleonora, Regis Portugalliae Emanuelis uida, celebrandas, quae secunda pacis conditio erat, in Regio Palatio habitaret. (hh)

(ee) vid. SANDOVAL in bistor. captiuitatis Francisci I. pag. 140.

(ff) De pacis conditionibus conf. LETI nella vita di Carlo V. P. I. Libr. 3. pag. 294. seqq. GVICCIARDIN. in bistor d' Ital. Lib. 16. pag. 486. et CADBRERA in bistoria captiuitatis Francisci I. pag. 169. seqq.

(gg) Vid. SANDOVAL in bistor. captiuit. Francisci I. pag. 182. ubi Franciscus adhuc illa uerba adiecit: Si uero, inquit, contrarium fieri contingeret, me aestimari licebit ignavum, improbum, hoc est, me uitem nebulosumque.

(hh) Conf. LETI nella vita di Carlo V. P. I. Lib. 3. pag. 297.

§. XX. Rex Franciscus Imperatori ualedicens, multis amicitiae reciprocae pollicitationibus interuenientibus, (ii) Pro-Rege Neapolitano, Lanoia, et Duce ab Alarzone, pluribusque aliis militibus stipatus, Madrido profectus, ad eum locum tendebat, ubi communatio Francisci cum filiis ipsius fieri debebat. Et ibi quidem in flumine, Hispaniae et Galliae fines diuidente, a Lautreccio obsides, Princeps nimirum Delphinus et Dux Aurelianensis, Pro-Regi Neapolitano, ab hoc uero ipse Rex eidem tradebatur, his uerbis: Domine,

mine, iam liber existis, impleat proinde Celsitudo Tua, ut probum decet Regem, quae promissa. Ad quae Rex respondit, Impletum iri universa. In ripam deinceps Galliae delatus, equo Turcico insidens, ad suos rediit, incredibili eorundem gaudio exceptus.

(ii) *Vid. LETI nella vita di Carlo V. P. I. Lib. 3. pag. 298.* Hora pochi giorni doppo la celebration delle nozze, l'Imperadore usi di Madrid per lo spatio di cinque leghe, con una cavalcata di Grandi e Cavalieri, delle più superbe, per accompagnare il Rè suo cognato, al quale diede sempre la mano, dall'uscita in poi della prigione; et nel licentiarfi si viddero straordinarii abbracciamenti, da bracci più, che da cuori.

S. XXI. Quemadmodum uero Cancellarius Caesaris, Gattinara ideo pacis conditionibus subscribere noluerat, officium suum potius, si ad subscriptionem ulterius urgeretur, depositurus, (kk) quia Regem eas seruaturum negabat, ita statim post redditum mentem prodidit (kk) Franciscus, erga Papae et Venetorum legatos de Caesaris in se capitium crudelitate conquestus, strenuamque, si Papa et Veneti arma contra Caesarem sumere uellent, operam pollicitus. (ll) Papa Franciscum apostolica auctoritate a iuramenti obligatione absoluit, (mm) foedusque inter se, Gallum, Venetos, Heluetios et Florentinos ineundum curat, Ligae sanctae (nn) nomine insignitum. Ad id quidem Caesar simul inuitabatur, sed, quoniam conditiones eius nullo ipso modo probabantur, iustitia caussae fretus, illud reiecit. At paruo post tempore interiecto, expertus est Rex, quam infastos rerum suarum exitus habeant perfidi, quippe Carolus Roman ui armisque superauit, Papam in carcerem detrusit, (oo) Gallosque, quasi demissa coelitus strage, pestis in Regno Neapolitano absunxit, multique Duces belli maxima notae, inter quos et summus militiae praefectus fuit, ceciderunt, (pp) reliquis cum ignominia Italia exire coactis. Gallus perfidiae poenam agnoscens, filiorumque desiderio flagrans, pacem expetiit, quae etiam Cameraci anno MDXXIX. die V. Augusti, sua hic officia interponentibus Margaretha, gubernatrice in Belgio, Imperatoris amita, et Ludouica Allobrogum, Regis matre, fuit sancita (qq)

(kk) *GVICCIARDIN. in bistor. d' Ital. Lib. XVI. pag. 487.* (ll) *vid. LETI nella vita di Carlo V. P. I. Lib. 3. pag. 309. seq. conf. GVICCIARDINI bistor. d' Italia Lib. 17. pag. 2. seqq.*

(ll) conf.

- (11) *conf. cit. auctores ultimi cit. loc.*
 (mm) *LETI cit. loc. pag. 311.*
 (nn) *LETI cit. loc. pag. 312.*
 (oo) *LETI nella vita di Carlo V. P. I. Lib. 4. pag. 319. seqq.*
 (pp) *LETI cit. loc. pag. 385.*
 (qq) *vid. SANDOVAL in hist. captiu. Francisci I. pag. 281. seqq.*

SECTIO SECUNDIA DOG M ATICA.

§. I.

Non incongrue nunc quaeritur, an Franciscus I. Galliarum Rex, nob violationem fidei, Carolo V. Imperatori iuratae, quod nimirum uellet pacis Madriti initae, conditiones seruare, aut in captiuitatem redire, periurus censeri debeat? Nos affirmati- uam amplecti nulli dubitamus, multis rationibus eandem confirmaturi.

§. II. Prima quidem ratio petita est ex natura pactorum, eorumdemque requisitis. Pacta a duobus, vel pluribus ad paciscendum habilibus de re, aut actione, aliqua possibili, animo rite declarato, eam ob causam inita, ut eius praestandae, vel non praestandae, obligatione tamdiu teneri uelint, donec placitis modis soluatur, seruanda esse, cum officiis Iuris Naturae hypotheticis(a) omnino conuenit. Nec, si contrarium obtineret, societas humana subsistere posset. Quae omnia ad quaestionem nostram propositam applicari possunt, sive respiciamus causam efficientem, seu subiectum, sive formam, sive materiam, sive effectum. Subiectum, seu causa efficiens Madritiana pacificationis erant Carolus V. et Franciscus I. personae omnino habiles ad paciscendum, et ratione sui, et intuitu populi ipsius subiecti. Intellectu enim et uoluntate, subiecto quo, seu causa efficiente proxima formae pacti, consensus nimirum, erant praediti, (b) et ad pacem conficiendam ab Ordinibus populisque suis, (si eo tempore his aliquid aliud, quam obediendi gloria, fuit relictum,) uti uidere est in sect. I. §. XIX. satis instructi.

C

(b) Hacc

(a) *Haec officia et hypothetica et absoluta vocari possunt, hypothetica, quia non ad omnes pertinent, absoluta, quia et in statu naturali obtinerunt. Vid. Excell. DN. GRIBNER. in Princ. Iurispr. Nat. L. I. c. 7. §. I. num. I. pag. 87. I. Excell. DN. GLAFEX in Vernunft- und Völker-Recht cap. V. §. 8. pag. 410. qui tamen necessitatem pactorum, indeque descendenter obligationem non ex communi socialitatis fonte, sed ex mutua et quasi individuali conuersatione deducit.*

(b) *Vid. Excell. DN. PRAESES in synops. pag. 305. pos. 26. seqq. Excell. DN. GRIBNER. in Princ. Iurispr. Nat. L. I. c. 7. §. 4. num. 3. pag. 91. seq. PVF. de Iur. Nat. et Gent. L. 3. c. 6. §. 3. pag. 372. ibidemque BARBEYRAC. in traduct. eod. loc.*

§. III. Forma s. ratio formalis pactorum in mutuo eodemque certo ac libero consensu est posita. Iustus uero ad constitendum pactum consensus, siue tacitus, siue expressus (c) tria potissimum requirit. Primo facultatem moralem, quae in pleno rationis usu consistit, adesse oportet, ita, ut pacis gens negotium, de quo agitur, et intellectu cognoscere, et uoluntate uel eligere, uel respovere possit. Cum enim consensus sit actus uoluntatis, uoluntas autem intellectus sequatur iudicium, utraque facultas concurrere debet. Secundo requiritur facultas moralis s. potestas, a legibus uel diuinis, uel humanis concessa. Inprimis ergo requiritur liberum rerum et actionum arbitrium, utpote quo omnis in qualibet conuentione consensus nitatur, necesse est. (d) Tertio exercitium utriusque facultatis, quo serio ac libere consensus declaratur, aut rite declaratus iudicatur. Nec hocce requisitum defuit in nostra transactione. Illa enim non uno die confecta, sed ad eiusdem perfectionem tractu temporis opus fuit, adeo, ut exinde etiam demonstrari possit, pacientes ad eandem indeliberto non accessisse. De Caroli V. consensu eo minus dubitandum, cum omnes pacis conditiones in fauorem eius, tanquam uictoris, fuerint conceptae. Idem dicendum de Francisco I. qui, licet ab initio in restitutionem Ducatus Burgundici plane non consentire, sed potius captiuitatem et omnia extrema experiri uoluerit, postea tamen ab obstinatione sua desistens, spontaneo motu, de quo uid. s. XIX. Sect. I. per Pro Regem Neapolitanum, Lanoiam, Caesari significandum curauit, transmissa amplissima pacem conficiendi facultate a matre Regina et su-

premo

premo Consilio Parisiensi , nihil amplius impedimento esse , quo minus pax in fauorem Imperatoris concludatur.

(c) *Vid. le Droit de la Nature et des Gens de Pufendorf traduit en françois par BARBEYRAC. Liu. 3. Ch. 6. §. 2. pag. 369. ubi in notis num. 3. et de consensu praesumto , qua specie nos supercedere posse putat , cum ovane illud , quod exinde deducatur , ex socialitatis communis fluat officis.*

(d) *conf. Exc. DN. PRAESES in synopsi pag. 365. pos. 30. sqq.*

§. IV. Obstant quidem alias consensui error et dolus. Intellexus enim, errore deceptus, a uero promissi pactiue obiecto recedit, adeoque uoluntas in illud non consentit. Distinctio tamen facienda, error ne circa pactum, an uero circa promissum acciderit. Si error in pactis contingit, distinguendum denuo, an ad paciscendum quis per errorem fuerit motus, et rursus, utrum ansam erroris subministrauerit alteruter paciscentium, an uero tertius, num error circa rem, de qua pactum initum est, uersetur. Si alteruter paciscentium erroris causa fuerit, tunc principiis Iuris Naturae omnino conuenit, ut nemo ex dolo suo emolumentum capiat. Quodsi tertius erroris materiam suppeditauerit, uidendum, res ne sit adhuc integra, an minus, i. e. num supplementum pacti s. contractus acceſſerit, an uero non? Priori casu aequitati naturali consentaneum, ut erranti concedatur poenitendi facultas, posteriori, qui errauit, rescissio nem contractus urgere non poterit, nisi quantum alter ex humanitate indulgere uelit. (e) Errore autem circa ipsam rem eueniente, Pufendorfius (f) quidem dicit, tunc pactum uitiari, non tam propter errorem, quam quia legibus pacti non fuit satisfactum. Cum autem haec sententia paulo uideatur obscurior, potius distinctio inter essentialia et accidentalia pacti res decidenda uenit. Nimirum si error est circa rei essentialia, tunc nihil est contractum, sin uero circa accidentalia, tunc utique pactum existit.

(e) *Vid. BARBEYRAC. in traduct. Pufendorf. de iur. Nat. et Gent. Lib. 3. c. 6. §. 6. pag. 375. imprimis not. 2. ubi cum Pufendorfio non omnino conuenit, seqq.*

(f) in *Lure Nat. et Gent.* L. 3. c. 6. §. 7. pag. 378. iterum traduct. BARBEY-RAC. ad hunc locum in not. 3. pag. 387. ubi Pufendorfium notat, et Exc. Dn. GLAFÉY in *Vernunft und Völcker-Recht* cap. 5. §. 117. pag. 440.

§. V. De promissis ita uidetur iudicandum esse. Si promissio fundata sit in praesumptione alicuius facti, quod ita se non habebat, aut ubi in promissione supposuerim aliquod factum s. qualitatem, citra quam non eram promissurus, secundum principia iuris Naturae ex promissione nulla descendit obligatio, modo ipsa negotii naturaliaeque circumstantiae ostendant, promissorem unice ex illo facto eaque qualitate, tanquam ex conditione, consensum suspendisse. (g) Quod si pactum uitiatur per errorem, multo magis uitiatur, si alterius malitiosa fraudulentia in promittente aut pacienti illud produxerit. Hac in materia iterum distinguendum, utrum dolus ab alterutro pacientium, an a tertio adhibeatur. Si prius acciderit, tunc negotium omnino nullum est, sin posterius, pactum subsistit, decepto tamen contra decipientem succurrentum est actione eius, quod interest. Distinctio inter dolum causam contractui dantem, et incidentem, iure Naturae ignoratur, adeoque Iuri Ciuiili adscribenda. (h)

(g) Conf. BARBEY RAC. in traduct. *Grotii de iur. belli et pacis* L. 2. c. n. §. 6. num. 2. pag. 405. ubi et illam opinionem ad leges extendit.

(h) Vid. Excell. DN. GLAFÉY in *Vernunft- und Völcker-Recht* Cap. 5. §. 118. seqq. pag. 440. seq. ill. THOMAS. in *Iurispr. Diuin.* Lib. 2. c. 7. §. 49. pag. 220. PVF. de *Iur. Nat. et Gent.* Lib. 3. c. 6. §. 8. p. 379. et Excell. DN. PRAES. in *Synops.* p. 377. pos. 198.

§. VI. In nostro autem negotio nec error, nec dolus impedimento fuit. Omnia enim non a Principibus solis, sed et administris et plenipotentiariis utriusque Regni, qui omnes salutem publicam ante oculos habuisse censemur, bona fide pertractata sunt. Saltem pro iisdem militat praesumtio, ita, ut, si quis contrarium affirmare uellet, eandem per aliam, eamque fortiorem, elidere necesse haberet.

§. VII. Altera uero ratio ex materia pactorum desumi potest. Materia autem pacti sunt res et naturaliter et moraliter possibles, seu tales, quas homo, permittente lege, uiribus humanis prae-
stare, et de quibus pro eo, quod in illas habet, dominio, libere dispo-

disponere potest. His opponuntur res impossibiles, eaeque pariter uel naturaliter uel moraliter tales. Hae sunt res turpes, siue illicitae, quarum praestationem lex prohibet. Sic Herodes, qui iurauerat filiae, se ipsi omnia, quae peteret, esse daturum, petente eadem, ita instructa a matre Herodiade, caput Iohannis baptistae, ad iuramentum seruandum non tenebatur. (i) Idem dicendum de Dauide, qui per iracundiam iurauerat, se Nabalis domum intermissione deleturum. (k) Ad talia igitur nulla datur obligatio, quoniam in res, a lege uetus, nullum nobis ius competit, adeoque nullum in alterum transferri potest. Illae dicuntur, quae per rerum naturam fieri, adeoque pacto promitti nequeunt, cum impossibilium nulla sit obligatio. (l) Eiusmodi itaque obligationes, licet uel maxime iusiurandum accedat, tamen non obstringunt.

(i) MATTH. 14. vers. 6. seqq.

(k) I. SAM. 25. differentia tamen est inter Dauidem et Herodem, hic obseruaverat iuramentum de re illicita factum, ille uero non, sed oratione Abigailis definitus ultra Deo gratias egit, quod impeditus fuerit.

(l) Vid. Magnif. DN. PRAESES in synops. pag. 371. pos. 170. seqq.

§. VIII. Tertia ratio ex natura iuramentorum dependet. Est autem iusiurandum assertio religiosa, qua diuinae misericordiae renunciamus, aut diuinam in nos poenam depositimus, nisi uerum dicamus. Plenius definiri potest per affirmationem religiosam, qua homo, in assertionis confirmationem, ad DEVm, ut testem ac vindicem certissimum, modo debito ac recepto, prouocat, eiusque poenam, si uerum reticeat, aut fidem fallat, in se depositit. Quae assertio, si rei, de qua iuratur, non congruit, periurium uocatur. Breuius dicitur a Cicerone religiosa affirmatio, a Clemente Alexandrino δύο λόγια παθετική μετά παραλήψεως θείας, definita locutio cum Dei assumptione. (m) Ab hoc iuramento differt promissoriu[m], quod denuo abit in promissorium in specie sic dictum, et in confirmatorium. Prius ita describitur, quod sit tale iusiurandum, quo quid obligationis inducenda gratia promittitur. Posteriorius, quod actum separatum praesupponit, eiusque confirmandi ergo adhibetur. Promissoria tam in publicis, quam priuatis causis frequentissime adhiberi suuerunt. Constitutionibus Hispaniae, Lusitan-

æque cautum est, ne ulli contractui iusiurandum accedat. Idem de Gallia testatur Alteserra ad c. 13. X. de iudic. addens rationem, quia obtentu iuriſurandi, contractibus appositi, laici passim trahebantur ad forum ecclesiasticum. (n) Quae iuramenta si uiolentur, per iurum (o) quoque committitur. Iusiurandum autem non nouam obligationem introducit, sed obligationem iam introductam magis firmat, atque conscientiam eius, qui iurauit, magis obstringit. Hinc eo casu, ubi negotium praecedens inuidum est, per iusiurandum accedens secundum principia iuris Naturae ualidum reddi non potest. Id quod etiam iure Ciuitati obtinet, secus uero est iure Canonico. (p) Exinde consequitur, cum in promissis et pactis consensus errore elicitus non sit idoneus ad producendam obligationem, non obligare iuramentum, ubi certum est, eum, qui iurauit, factum aliquod supposuisse, quod reuera ita se non habebat, ac nisi credidisset, non fuisse iuraturum, in primis ubi per dolum eius, cui iuratur, in errorem fuerit adductus. Ut itaque iuramentum ualorem habeat, quaedam intuitu iurantium, quaedam circa rem ipsam iuratam debent præsupponi. Ratione iurantium requiritur, ut usu rationis sint prædicti, et animo deliberato ad iuriandum accedant, ratione rei iuratae, ut sit res licita. Immo etiam si res, quae promittitur, in se non sit illicita, iuriſurandi tamen nullus erit ualor; si impediatur magis bonum morale, seu ubi officia humanitatis et pietatis exercere prohibemur. (q)

(m) Conf. PVF. de iur. Nat. et Gent. Lib. 4. c. 2. §. 2. pag. 455. seqq.

(n) Vid. annot. HERT. ad Puf. de iur. Nat. et Gent. pag. 483.

(o) Les Egyptiens punissaient de mort les parjures, comme coupables de deux grands crimes, l'un d'avoir violé le respect, que l'on doit à la Divinité, l'autre d'avoir manqué à l'engagement le plus sacré et le plus inviolable, qu'il y ait parmi les hommes, ex Diodor. Sic. Lib. I. cap. 77. pag. 69. refert BARBEYRAC. in not. ad Puf. de iur. Nat. et Gent. pag. 454.

(p) PVF. de iur. Nat. et Gent. Lib. 4. c. 2. §. 6. pag. 464. seq. c. 28. X. de iure iuri. c. 2. de pact. in 6to.

(q) Vid. BARBEYRAC. in traduct. Puf. de iur. Nat. et Gent. Lib. 4. c. 2. §. 10. num. 1. p. 467. ubi exempla à Grotio et Pufendorfio allegata reicit, aliudque conuenientius substituit.

§. IX. Nec ad impossibilia per iuramenti præstationem obstringi

stringi possumus. Distinguendum tamen est, utrum aliquid sit absolute impossibile, an uero pro nunc, aut praesupposita certa conditio ne. (r) Si prius, iurans plane non tenetur, et negotium, cui accessit iusurandum, nullum est. Sin posterius, uis obligationis est suspensa, et ille, qui iurauit, certo quodam casu supposito, obstrictus est in conscientia, ut omnem nauet operam in re praestanda, quam iuramento promisit. Distinctio, quod conditio impossibilis in quibusdam negotiis pro non adiecta habeatur, quaedam uero in ualida reddit, est alterius fori. Iure enim Naturae omne pactum s. contractus, uel actus etiam ultimae uoluntatis, cui conditio impossibilis est adiecta, pro nullo habetur, nec per iuramenti appositionem ualidus redditur.

(r) BARBEYRAC. in traduct. Grotii de iur. bell. et pacis Lib. 2. c. 13. §. 8.
et 9. pag. 449. seq.

§. X. Iuramentum, debitibus requisitis praefitum, omni tempore et apud omnes populos in promissis et conuentionibus, quibus adiectum fuit, maximum firmamentum, nec non uinculum conscientiarum fuit habitum, ita quidem, ut etiam Sophocles dicat, Ille, qui iurauit, magis attentus est in actionibus suis, maioresque adhibet diligentiam in promissis seruandis, ad euitanda duo mala, quae, peririum faciendo, in se devolueret, nempe iram Dei et odium amicorum suorum. (s) Hinc nullum dubium, quin sancte sit seruandum, adeo, ut quidam interpres iuris Naturae hanc sanctionem etiam ad iuramenta metu iniusto extorta extendant. (t) Immo iuramenta, ob interpositam DEI inuocationem, quem neque astu quis deceperit, et cui nemo impune illuserit, illud efficiunt, ut ab negotiis, quibus adiiciuntur, omnis interpretatio cauillatoria sit excludenda. Id quod multo magis de iuramentis, ad quae metu iusto adacti sumus, dici oportet. (u) Si dolus causam dederit iuriurando, illud non uidetur habere vim obligandi. Quale Gibeonitis praefitum Israelite seruarunt. (w)

(s) BARBEYRAC. in traduct. Grotii de iur. bell. et pac. L. 2. c. 13. §. 1. num.
2. pag. 442.

(t) Satius enim est, aut non iurare, aut iuramento satisfacere. Exc. DN. GRIBNER. in Princ. Iurispr. Natur. Lib. 1. c. 7. §. 5. n. 1. pag. 94. quamvis PUFEND. L. 4. c. 2. §. 8. pag. 467. contrarium statuat.

(u) Vid.

(u) *Vid. GROT. de iur. bell. et pac. Lib. 2. c. 13. §. 14. et 15. p. 453. seq.*

(w) *Conf. BARBEYRAC. in traduct. Grotii de iur. bell. et pac. Lib. 2. c. 13. §. 4. p. 447. ubi putat, Iosuam et Ifraclitas ad illud iuramentum seruan- dum fuisse obstrictus.*

§. XI. Iuramentum itaque promissorium, quo pax Madritiana fuit ab utraque parte confirmata, praestabatur a personis rationis usum habentibus, immo et deliberato consilio et consensu utriusque regni, uid. §. 6. huius Sect. et §. 19. Sect. I. Conditiones pacis de reddendo Burgundiae Ducatu, de renunciatione quoad dominum directum et supremum Imperium dicti Ducatus, in Regnum Neapolitanum, Ducatum Mediolanensem, Comitatum Flandriae et Artoensem, et reliqua, erant possibles, et naturaliter, et moraliter, i.e. nec natura impossibles, nec iure prohibitae. Quippe Burgundiae Ducatus erat uetus Ducum eiusdem nominis patrimonium, et, extincta ista stirpe, per matrimonium inter Maximilianum I. et Mariam Burgundicam, ultimi Duci Burgundici unicum filiam, contratum, ad domum Austriacam, unde Imperator Carolus erat oriondus, translatum, Maximiliano uero a Rege Galliae Ludouico XI. iniuste retentum. Hinc Carolus summo iure eiusdem restitutionem exigere poterat. Nec restitutioni Ducatus Burgundici a Francisco I. facienda obstabat impedimentum uel naturale, uel morale. In pacificatione Madritiana enim, quae a Rege Galliae, non ut priuato, sed ut Rege, erat inita, i.e. cum consensu Regni sui, dicta restitutio fuerat promissa, immo ipsa pax iuramento corroborata. Nec leges fundamentales, uti uulgo quidem uocantur, restitutionem impeditentes, in Gallia reperiebantur. Et quanquam alias bona Regni pro inalienabilibus habentur, tamen illud primo ex principiis politiciis prouenit, non uero ex iure Naturaet Gentium, secundo est intelligendum de alienatione uoluntaria, non necessaria, et tertio de alienatione a solo domino territorii, excluso populi consensu, facta, quarto de alienatione eius, quod legitimo modo alicui Regno fuit incorporatum, non uero de eo, quod alicui iniuste detinetur. Nec ultra humanas uires Francisci erat, reddere possessionem illius ei, ad quem legitimate pertinebat.

§. XII. Comitatus Flandriae et Artoensis, immo et reliquae provinciae

uinciae Belgicae per matrimonia ita confluxerant, et ab ultimo Bur-
gundiae Duce, excepta unica prouincia Geldriensi, quae demum
tempore Caroli V. reliquis fuit iuncta, quiete possidebantur, et
post eius mortem ad filiam ipsius, et cum filia in domum Austri-
acam transferabantur, quarum possessione Carolus V. tempore pa-
cis fruebatur. Hinc renunciatio, tanquam res superflua, non ad
maiis ius consequendum, sed ad maiorem securitatem exigebatur,
praestarique poterat. Quod ad Regnum Neapolitanum et Ducatum
Mediolanensem attinet, Rex Galliae nullum alium titulum, quam
usurpatoris, allegare poterat, ergo renunciatio pariter erat super-
flua, eoque minus deneganda victori.

S. XIII. Alias et contra iuramenta dispensatio habet locum.
Superior quidem regulam iuris Diuini, quod iuramenta nimis
obligatoria seruari debeant, relaxatione sua infringere non potest.
Cum tamen inferior, qui iurat, alieno arbitrio sit subiectus, su-
perioris potestas duplci modo se exerit, intuitu illius, qui iurat, et
intuitu illius, cui iuratum est. Quod ad iurantem attinet, aut pro-
hibitio praecedit iuramentum, aut implementum iuramenti iam-
iam praestiti prohibetur. Quod ad eum, cui iuratum est, superior
priuat eundem aut iure, quod per iusiurandum acquisiuit, aut fa-
cultate ex iuramento aliquid accipiendi. Illud enim facere potest,
uel ut puniat nocentem, vel propter bonum publicum, ui dominii
eminentis, quo superior in bonis subditorum gaudet. (x) Sed haec in
pacifcentibus nostris, qui superiorem non habebant, sibi locum unin-
dicare haud possunt. Neque Respublicae, quarum erant gubernato-
res, ipsis erant superiores, utpote quod saperet principia Monarcho-
machica, adeoque nec per illas a iuramenti praestatione arceri pot-
erant. Immo posito, non concessso, Rempublicam pro Principis
superiore haberi posse, tamen exinde nihil ualidi ad nostrum cas-
sum inferre licet, cum pacificatio Madritiana a Carolo V. et Fran-
cisco I. tanquam publicis personis, et nomine Reipublicae utriusque
facta fuerit. Dum itaque Respublicae per Principes contrahebant,
et partes erant, non poterant fungi iudicis officio, Principes suos
a iuramenti ui et efficacia liberando. Pontificis uero Clementis VII.
dispensatio, qua Franciscum I. a iureiurando relaxauit, nullius mo-

menti est, quia neque ut Pontifex s. persona ecclesiastica, neque ut Princeps, pro superiore Regis Francisci haberi potest. Non ut Pontifex, cum illud dependeat ex falso principio, nempe Vice-Deatus et Vicariatus Christi, non ut Princeps, ob deficientem superioritatem. Principes enim in statu naturali sunt constituti, qui imperii expers est.

(x) *Conf. tract. GROTTII de iur. bell. et pac. per BARBEYRAC. Lib. 2. cap. 13. §. 20, num. 2. seqq. pag. 457. seq.*

§. XIV. Quarta ratio ex eo deriuatur, quod, si iuramentum a Francisco I. seruatum fuisset, nec Regi, nec Regno insigne decrementum fuisset extitulum. Nec Regi, mansisset enim Rex Galliae, nec Regno, nam ut olim translatio Ducatus Burgundici in gentem Ducum Burgundiae non datum est, sed habitata, ita multo minus restitutio illius, quod iniuste a Gallis detinebatur, pro damno reputari debebat. Alienationes bonorum Regni sunt quidem prohibitae, et, si a Principe contra formulam Regni s. contra leges fundamentales alienatio fit, eadem pro nulla habetur. Secus uero est, si alienatio uel restitutio fiat ex necessitate, uel in utilitatem Reip. uel cum consensu eiusdem. De renunciationibus minus dubium occurrit, quippe per easdem nulla alienatio facta est, ergo Regnum nullum, multo minus insigne, detrimentum sensit. Fauultas autem redeundi in carcere, ad quod Franciscus I. iuramento adstringebatur, non seruat promissis, quintam nobis subministrat argumentandi rationem. Nam si uerum fuisset, quod Proceres Regni Gallici, uel summum Consilium Parisiense, quorum tamen auctoritas tempore Francisci I. ualde erat deminuta, in pacificationem consentire noluisse, non tamen Regem impedire potuissent, quominus ad euitandum periurium in carcere iterum rediisset. Sic Regulus, Dux Romanorum, captiuus factus ab Hannibale, et in carcere detentus, iuramento cum decem aliis obstrictus, redimendorum captiuorum ergo, ad populum Romanum dimissus, reculata permutatione, memor iuris iurandi sui, in carcere reuertit. (y) Et in recentiori Galliae historia habemus exemplum Regis Galliae, Ioannis Valesii, qui ab Anglis captiuus factus, deinceps uero, pae certis conditionibus inita, dimissus est. Licet ille pacis conditio-

nes

nes iureiurando non confirmauisset, uidens tamen, se pacificationem non posse adimplere, in captiuitatem rediit, ibique mortuus est. (z)

(y) *Neque uero tum ignorabat, se ad crudelissimum hostem, et ad exquisitam supplicia proficii, sed iuriurandum sancte seruandum putabat, CIC. Offic. Lib. 3. cap. 27. conf. GROT. lib. 21. de I. B. et P. cap. 13. §. 14. n. 2. pag. 454.*

(z) *Vid. PVFENDORF. Einteitung zu der Historie Cap. 5. §. 10. sub fin.*

§. XV. Sexta ratio ex eo fluit, quod secundum principia juris Naturae princeps aequa teneatur iuriurandum seruare, atque priuatius, solummodo hac manente differentia, ut Princeps directive, priuatus uero et directive et coactiue obstringatur. Nec differentia subest ratione obligationis, sed duntaxat ratione executionis. (z) Et Princeps, nomine Reipublicae contrahens s. pacifcens, pactumque iureiurando corroborans, quodammodo magis obstringitur, cum priuatiuramentum aliquando a superiore, ui summi imperii, infringi possit, non uero Principis, qui superiore destitutitur.

(z) *Vid. hic Excell. DN. PRAES. in synops. p. 702. pos. 64.*

§. XVI. Claudit denique commentationem nostram septima ratio, ex effectu pacti proueniens. Effectus autem pacti est: obligatio, seu necessitas moralis praestandi id, quod mutuo consenseru fuit placitum. Eiusmodi effectum quoque in proposito nostro casu adesse, patet ex antecedentibus. Ibi enim actum fuit de causa efficiente, de formalis et materiali pacti, et demonstratum, ea omnia in pace Madritiana concurrisse, indeque necessario sequitur, eundem, secundum regulam, positis causis, ponitur quoque effectus, non potuisse abesse. Et quoniam ad dictam pacificationem Francisci I. adhuc accessit fides iurata secundum circumstantias iam recensitas, ex huius uero uiolatione existit periuirium, concluditur, Franciscum, qui illam pacem iuratam uiolauit, pro periuiro utique esse habendum.

EPI-



EPILOGVS.

Quidem multo fusius illustre hoc thema tractare potuissim,
cum autem alteri dissertationi, ex Incliti Ordinis Philosophici
statutis habendae, argumenta contraria examinanda ac confutan-
da reseruare debeam, his fere cancellis cogitationes meas inclu-
dere necesse habeo. Pro concessso itaque ad hoc-
ce opus peragendum au-
xilio

SIT DEO LAVS ET GLORIA.



191

ULB Halle
004 057 635

3



Sb.



Q. D. B. V.
DISSERTATIONEM MORALEM
RATIONES EXPONVNTVR
FRANCISCVS I
GALLIARVM REX OB
IVSIVRANDVM CAROLOV
IMPERATORI HAVD
SERVATVM PERIVRVS
CENSERI DEBEAT
PRAESIDE
MARTINO HASSEN
MORALIVM ET CIVILIVM P. P
PATRONO FORTVNARVM QVE SVARVM
AMPLIFICATORE PIE COLENDO
IN
ILLVSTRI AD ALBIM ACADEMIA
D. XXI. DECEMBER M DCC XXVI
PLACIDO DOCTORVM EXAMINI
SVBMITTET
AVCTOR
IOANN. CHRISTOPH. ROEHRING
LL. ARTIVM MAGISTER
ET IVR. VTR. CANDIDATVS
VVITTEBERGAE, LITERIS GAEBERTIANIS